

confessionum et facultatum fieri petimus, sed ad satisfactionem eorum qui de hac re sine causa dubitare voluerunt, et conscientias nostrorum Catholicorum scrupulis et anxietatibus vexare delectantur.

Exhibitum Card<sup>bus</sup> 6. Septembris inter eundum ad congregationem pro rebus Anglicis secundam.

12. *Letter to the Pope from the four English priests.*

47, f. 278.

Beatissime Pater.

Maxima et unica post deum consolatio nobis est, quod vestrae paternae considerationis viscera ita patentia habeamus, ut in cunctis angustijs nostris adeo nobis liceat cum certa refrigerij spe confugere. Itaque nos quatuor presbiteri Angli, quos de summa clementia vestra et benignitate sic in patrocinium suscipere dignati estis, ut ad vitam tuendam necessaria vltro obtuleritis, humillime supplicamus B<sup>m</sup>ae paternitati v. ut causas ecclesiae nostrae quae iam diu coram S<sup>te</sup> v. agitatae et discussae fuerunt, cum primum per grauiora negotia licebit, terminare velitis; itaque interim dum hoc commodè possit fieri, aliquid nobis eleemosinarij subsidij imparti[ri] dignemini, quo praesentibus nostris necessitatibus subueniatur. Hoc eo magis nunc a S<sup>te</sup> v. petere cogimur, quod nostrum aliqui grauioribus decumbunt febris, qu[orum] curae multos sumptus requiri experimur. Nos certe (B<sup>m</sup>ae pater) eo inopiae redacti sumus, ut cum antea singuli ad frequentia ministeria prestanda singulos famulos habere consueverimus, iam consenescentes et multum aduersa valetudine laborantes, ne vnum quidem famulum ad communia munera obeunda inter omnes quatuor alere aut apud nos retinere valeamus.

[*Endorsed*] Exhibitum 9 Sept.